

P. VERGILI MARONIS GEORGICON LIBER QVARTVS

'Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
et iuncto bipedum curru metitur equorum.

Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit 390

Pallenen, hunc et Nymphae veneramur et ipse
grandaevus Nereus; novit namque omnia vates,
quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur;
quippe ita Neptuno visum est, immania cuius
armenta et turpes pascit sub gurgite phocas. 395

Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
expadiat morbi causam eventusque secundet.

Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum
orando flectes; vim duram et vincula capto
tende; doli circum haec demum frangentur inanes. 400

Ipsa ego, te, medios cum sol accenderit aestus,
cum sitiunt herbae et pecori iam gravior umbra est,
in secreta senis ducam, quo fessus ab undis
se recipit, facile ut somno adgrediare iacentem.

Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis, 405
tum variae eludent species atque ora ferarum
Fiet enim subito sus horridus atraque tigris
squamosusque draco et fulva cervice leaena,
aut acrem flammae sonitum dabit atque ita vinclis
excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit. 410

Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes,
tanto, nate, magis contendere tenacia vincla,
donec talis erit mutato corpore, qualem
videris, incepto tegeret cum lumina somno".

Haec ait et liquidum ambrosiae defundit odorem, 415
quo totum nati corpus perduxit; at illi
dulcis compositis spiravit crinibus aura

atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
exesi latere in montis, quo plurima vento
cogitur inque sinus scindit sese unda reductos, 420
deprensis olim statio tutissima nautis;
intus se vasti Proteus tegit obice saxi.
Hic iuvenem in latebris aversum a lumine Nympha
collocat; ipsa procul nebulis obscura resistit.
Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos 425
ardebat, caelo et medium sol igneus orbem
hauserat; arebant herbae et cava flumina siccis
faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
cum Proteus consueta petens e fluctibus antra
ibat; eum vasti circum gens umida ponti 430
exsultans rorem late dispergit amarum.
Sternunt se somno diversae in litore phocae.
Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,
auditisque lupos acuunt balatibus agni, 435
considit scopulo medius numerumque recenset.
Cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas,
vix defessa senem passus componere membra
cum clamore ruit magno manicisque iacentem
occupat. Ille suae contra non immemor artis 440
omnia transformat sese in miracula rerum,
ignemque horribilemque feram fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
in sese redit atque hominis tandem ore locutus:
'Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras 445
iussit adire domos? Quidve hinc petis?' inquit. At ille:
'Scis, Proteu, scis ipse; neque est te fallere quicquam
sed tu desine velle. Deum praecepta secuti
venimus hinc lapsis quaesitum oracula rebus".
Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa 450
ardentes oculos intorsit lumine glauco
et graviter frendens sic fatis ora resolvit.